

ILLUSTR.<sup>MO</sup> ATQUE REVER.<sup>MO</sup>  
AUGUSTINO VALERIO  
S. R. E. CARDINALI  
AMPLISSIMO.

Inde usque a Lazari Bonamici tempore, Patavii eloquentiam, magno cum honore, publice profitensis, Augustine Valeri, te novi. Nam eloquentiæ studiosis cum esses, cum eo familiarissime versabar. Ei perpetuus eras assecla. Philosophiæ etiam, sed politio re methodo quam cæteri, operam dabas. Profectus magnos in utraque faciebas. Ego et studia tua, et profectus demirabar. In amicitiam tuam me insinuavi. A Bonamici obitu, in patriam redisti. Bernardus Naugerius affinis tuus, vir doctissimus et maximis in Republica honoribus evehì cepisti. Inter eos, me non deditiasti. Scriptorum tuorum, qua in scribendo florebas eloquentia, aliquid mecum communicabas. Ea non poteram, magnopere non laudare. Inter eos honores, ad Veronensem Episcopatum et sublatus. In eo regendo, ad populum concionando, verbum Dei explicando, vitæ innocentissimæ exemplis, atque opibus, singulos iuvando: scriptis publicatis, Religioni Catholicæ opitulando, quantum promerueris, satis indicat tua a Gregorio XIII in R. R. E. Cardinalatum evectio. Veronæ in episcopatu honoris gratia, alioquoties te adii. Cardinalem, cum Romam Ferraria transires, bis te invisi, bis sum veneratus. Memor tu, veteris meæ erga te observantiæ perhumaniter me excepisti. Modo cum Romæ resideas, quo te honore prosequar? Eo nimurum, qui a me proficisci queat, omnium maximo. Dicatione, scilicet consecrationeque, contemplationum nostrarum, novæque nostræ philosophiæ, partis non exiguae. non, ni fallimur, contemnandæ. Librorum scilicet octo, nostræ Pancosmiæ primorum. In quibus, et principia corporei huius mundi sunt non solum explicata, et disputata, verum etiam. Geometricis, ut remur necessitatibus demonstrata. Et ipsius totius mundi, constitutio, et formatio exposita. Materies contemplationis quidem sublimis et perarduae, sed ingenio, sed doctrinæ, sed iudicio tuo, nullius difficultatis. Tu pro tua singulari, et humanitate, et benignitate, hilari fronte, atque animo eos excipe. Si non meo ullo erga te merito, saltem eorum merito non exiguo. Quod mundum hunc, contra pleorunque philosophorum, etiam in Ecclesia philosophantium, dogmata, a Deo esse factum atque creatum, rationibus demonstrant necessariis. Quae res, sacrosanctis Catholicæ fidei dogmatibus consona, cum sit, piis hominibus non profutura non potest videri, et impiorum sensus, tum in hac re, tum in aliis perstringere, aptissima videri potest. Et multas ab eorum animis impias opiniones evellandas accommodatissima. Hoc meæ erga te veteris, atque eximiæ observantiæ, et venerationis testimonium, e corde, e mente, e mente profectum, habe, et retine. Vale, mei memor, Ferraria.

*Tui cultor eximus,  
Franciscus Patricius.*